

IACOBELLUS DE MISA

MAGNA CENA

(editio critica)

Cod. O — bibl. Capit. Metrop. Pragensis O 71, f. 43v–46v

Cod. Mk — bibl. Univ. Brunensis Mk 98, f. 164r (fragm.)

1 || Magna cena sacramentalis, quam fecit quidam homo, ymmo Deus et homo,
ex cibo et potu sacramentalibus ad sumendum Cristi sacerdotibus et plebibus,
dum comodosse haberi potest oportunis loco et tempore, est precepta. Supposito,
quod hec Dominica cena sit generalis et summa medicina cristianis spiritualiter
5 infirmis et fragilibus, sine tamen peccato mortali existentibus in quocunque statu
fidelium, secundum illud veridicum ecclesie:

„Dedit fragilibus corporis ferculum,
dedit et tristibus sanguinis poculum“ etc.,

et secundum illud Mathei 9^o: „Non est opus valentibus medico, sed male habenti-
10 bus“, et iterum ibidem: „Non veni vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam.“

Isto presupposito arguitur sic: Omnes infirmi sanari cupientes a medico tenen-
tur ex precepto medici suscipere crebro medicinam ab ipso traditam. Sed plebes
et sacerdotes Cristi sine peccatis mortalibus existentes, adhuc in humanis fragiles,
ex fomite peccati proni semper ad malum communiter sunt infirmi, secundum
15 animam sanari cupientes, ergo plebes et sacerdotes Cristi sine peccatis mortalibus,
si sanari volunt, tenentur ex precepto Medici summi suscipere medicinam ab ipso
traditam, scilicet Dominicam cenam sacramentalem factam ex cibo potuque sa-
cramentalibus. Consequencia nota est, et maior patet per beatum Augustinum
Omelia 12 super Iohanne dicentem sic: „Ergo quantum in medico est, sanare
20 venit egrotum. Ipse se interimit, qui precepta medici servare non vult.“ Et minor

3 Supposito : Suppositio O — 4 quod om. O — 9 medico : medicine O — 11 arguitur : argui O — 14
infirmi : infami O — 16 summi : supremi Mk — 17 Dominicam cenam : cenam Dominicam Mk —
potuque : et potu Mk — 18 patet om. O

1 cf. Luc. 14,16

7 Breviarium Romanum, hymnus Sacris solemnibus in festo Sanctissimi Corporis Christi ad Ma-
tutinum; cf. opera Iacobelli de Misa: Responsio (Tractatus de communione sub utraque specie),
in: Hardt von der, H.: Magnum oecumenicum Constantiense concilium III, Francofurti et Li-
psiae 1698, col. 430, 527; Quod non solum sacerdotes, MS. bibl. Univ. Prag. V E 16, f. 123v

9 Matth. 9,12

10 Luc. 5,32; Matth. 9,13

19 Aurelius Augustinus, In Joannis evangelium tractatus XII, MPL 35; 1490; cf. Responsio, 440

O 43v
Mk 164r

patet ex suppositione. Sepius enim plebes et sacerdotes Cristi eciam absque crimine hic degentes in hac vita, que est temptatio et militia hominis super terram, vulnerantur temptacionibus et peccatis, sicut scriptum est: „*Sepcies in die iustus cadet.*“ Cena autem Dominica sacramentalis secundum suum cibum et potum sacramentales sunt medicina peccaminum etc. Et ista est sententia beati Ambrosii libro 2^o De misteriis et sacramentis, ubi generaliter populum cristianum in infirmitatibus anime laborantem ammonet dicens: „*Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus; | medicina est celeste et venerabile sacramentum.*“ Et iterum idem: „*Si quocienscunque effunditur sagwis Cristi, in remissionem peccatorum funditur. Debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.*“ „*Virtus enim de illo exibat et sanabat omnes.*“ Et habetur in canone De consecracione distincione 2^a, „*Si quociens*“ etc.

Sicut bap-tisacio Spiritus precepta est cuncto populo cristiano in bap-tisacione sacramentali per illud Iohannis 3^o: „*Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum*“, quamvis tempore necessitatis et martirii secundum Augustinum martirium potest supplere vicem baptismatis, dum non posset haberi, sic manducacio corporis Cristi realis spiritualis in sacramentali manducacione et bibicio saguinis Cristi spiritualis in bibicione sacramentali vini precipitur, dum comodosse potest haberi tempore et loco oportunis, per illud Iohannis VI^o: „*Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*“ Patet, quod eadem ratione recte sicut ad inchoacionem et generacionem spiritualis esse in homine posuit Dominus et statuit sub precepto spiritualem bap-tisacionem in sacramentali bap-tisacione sub forma aque, sic ad continuandum

21 eciam : ecclesiam O — 25 peccaminum etc. : peccancium, igitur etc. Mk — 29 sacramentum : sacramentum etc. Mk — 31 Qui : Aut Mk — 32–33 Et habetur...quociens etc. om Mk — 34 Sicut : Item sicut Mk — precepta : preceptum O — 35 in verbo sacramentali des. Mk — 38 bibicio em. : bibicione O — 39 precipitur : recipitur O — 44 sic em. : se O

23 Prov. 24,16; cf. Quia heu in templis, MS bibl. Univ. Prag. V G 7, f. 9r

23–25 Sepcies...peccaminum *sententia sumpta ex*: Mathiae de Janov Regulæ Veteris et Novi Testamenti, vol. V, ed. V. Kybal — O. Odložillk, Praga 1926, 56

27 Ambrosius, De sacramentis, l. V, c. IV, MPL 16, 452

29 Ambrosius, o.c., l. IV, c. VI, MPL 16, 446; *sumptum ex*: Mathiae de Janov Regulæ Veteris et Novi Testamenti, vol. V, 56; cf. Quia heu in templis, f. 9r; Responsio, 470, 484; Salvator noster, in: *Betlémské texty*, vyd. B. Ryba, Praha 1951, 124

31 Luc. 6,19; *sumptum ex*: Mathiae de Janov Regulæ Veteris et Novi Testamenti, vol. V, 56; cf. Quia heu in templis, f. 9r

33 De consecr. D. 2 c. 14, Friedberg I, 1319

35 cf. Ioh. 3,5

36 cf. Aurelii Augustini De baptismo contra Donatistas, l. IV, c. XXII, MPL 43, 173

40 Ioh. 6,54

45 esse spirituale in homine posuit Dominus et statuit sub precepto manducacionem
spiritualem corporis et bibicionem spiritualem saguinis sui in manducacione et
bibicione sacramentalibus sub forma panis et vini. Sicut ergo Cristus, Deus et
homo, si voluisset, potuisset omnes suos clericos solum spiritualiter baptisare sine
baptismo sacramentali aque, et tamen ex sua sapiencia infinita hoc non fecit, sed
50 potius in sacramentali baptisacione spiritualem baptisacionem constituit generali-
ter cunctis communitatibus fidelium circa principium generacionis vite spiritualis,
sic ad continuandam vitam spiritualem ad Dei beneplacitum Cristus, Deus et
homo, quamvis, si voluisset, potuisset plebem suam cum sacerdotibus suis crebro
dare | manducacionem spiritualem tantum corporis sui et bibicionem spiritualem O 44v
55 saguinis sui sine sacramentali, et tamen ex infinita sua sapiencia non sic fecit, sed
posuit manducacionem spiritualem corporis sui et bibicionem saguinis sui
spiritualem in manducacione et bibicione sacramentalibus sub forma panis, et ita
a communitatibus precepit observari.

Cuius ratio est, quia vera manducacio spiritualis tantum se sola sine sacramen-
60 tali veri et realis corporis, olym in cruce pendentis et iam a dextris sedentis, et
tantum se sola bibicio vera et realis et spiritualis saguinis Cristi, olym de latere
fluentis, iam in Dei gloria deificati, sunt nimis abscondite populis cristianis in hu-
manis et in fragilitate et infirmitate adhuc laborantibus et solis principaliter spiri-
tibus sanctis a corporibus separatis concessae, licet ex speciali privilegio viris per-
65 fecte sanctitatis eciam aliquando concedebatur, qui iam non in humanis secundum
humanam fragilitatem et infirmitatem, sed aspectu et veritate extra se in excessu
mentis vivebant, ad quod fragilis et infirma plebs cum communibus sacerdotibus
attingere non valet. Oportebat ergo, quod communitas cristiana sic fragilis et
infirma ac sic sensualitati dedita haberet sensibile sacramentum secundum dupli-
70 cem formam, panis scilicet et vini, per quod vivam fidem retinens moveretur, ut
in sacramentali manducacione et bibicione manducaret vere et realiter ac spiri-
tualiter corpus Cristi sub forma panis sensibili et biberet vere et spiritualiter et
realiter saguinem Cristi, olym in cruce effusum et iam deificatum, sub forma vini
sensibili.

75 Et iste videtur esse sensus Augustini super Iohanne Omelia 23 super predicto
verbo, scilicet „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sagui-
nem, non habebitis vitam in vobis“, sic dicit: „Quomodo quidem et quisnam modus

45 manducacionem *em.* : manducamus O — 61 vera : veri O — 63 in fragilitate et *em.* : in fragile
O — 71 manducaret *em.* : manducare O

60 *cf.* Marc. 16,19

61–62 *cf.* Ioh. 19,34

76 Ioh. 6,54

77 Aurelius Augustinus, In Joannis evangelium tractatus XXVI, MPL 35, 1613; *cf.* Salvator noster,

sit manducandi istum panem, ignoratis. Verumtamen nisi manducaveritis carnem
 Filli hominis" etc. Et qui vult digne manducare et bibere corpus et sanguinem
 O 45r Cristī, ante debet esse in comunione et societate sanctorum et post hanc mandu- 80
 cacionem et bibicionem debet plus incorporari spiritualiter | secundum maiorem
 spiritualem participacionem predictae comunioni sanctorum. Ideo secundum
 quandam figurativam, habitalem et causalem predicacionem post pauca dicit
 Augustinus: „Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et
 membrorum suorum", id est iste cibus et potus sacramentalis figurat et dat intelli- 85
 gere corporis mystici ecclesie et suorum membrorum, quod corpus secundum
 Augustinum „est sancta ecclesia in predestinatis et vocatis et iustificatis et glori-
 ficatis sanctis et fidelibus eius", ut ibidem dicit Augustinus in Omelia. Sed ne
 credatur, quod supradicta verba Augustini de spirituali manducacione et bibicione
 corporis et sanguinis dicta deberent intelligi sine sacramentali manducacione et bi- 90
 bicione sub forma panis et vini, post pauca addit dicens: „Huius rei sacramentum,
 id est unitatis corporis et sanguinis Christi, alicubi quottidie, alicubi certis inter-
 vallis dierum in Dominica mensa preparatur et de mensa Dominica sumitur; qui-
 busdam ad vitam, quibusdam ad excidium. Res vero ipsa est, cuius sacramentum
 est homini ad vitam, nulli ad excidium." Hec Augustinus. Ecce quomodo verba 95
 huius sancti tam magna subtilis super illud Iohannis preallegatum „Nisi manduca-
 veritis carnem Filii hominis et biberitis eius..." non solum videntur de manduca-
 cione corporis et bibicione sanguinis Christi spirituali, nec solum dicitur substan-
 ciam propter de sacramentali, sed de utraque simul sub forma sacramentali panis
 et vini gratis. Ergo multi non intelligentes Augustinum allegando, truncando 100
 verba eius, solum illa verba sumendo, que sonant de spirituali tantum manduca-
 cione et bibicione corporis et sanguinis Dominici, obmittendo verba, que etiam
 sonant de manducacione et bibicione, que est in sacramentali etiam forma, ipsi
 autem male intelligunt eum loqui de spirituali tantum sine sacramentali, et hoc
 facit multos errare, licet etiam Augustinus tangat manducacionem et bibicionem 105
 sacramentalem tamen precipue circa indigne accedentes. Ex cuius etiam verbis
 patet, quod illa verba ewangelica Salvatoris „Nisi manducaveritis carnem Filii
 hominis" non solum de spirituali manducacione et bibicione nec solum de sacra-
 mentali, sed de utraque simul secundum Augustinum debent intelligi preceptiva.
 O 45v Item Ciprianus 34 | epistola loquens de sacramento Dominici calicis, „... in toto 110

99 de sacramentali *em.* : sacramentali O — forma *em.* : formali O — 103 forma *em.* : forme O — 104
 spirituali *em.* : sacramentali O

84, 87 Aurelius Augustinus, *o.c.*, MPL 35, 1614; *cf.* Responsio, 419

91 *ibidem*; *cf.* Responsio, 433; Salvator noster, 110

107 Ioh. 6,54

110 Thascius Caecilius Cyprianus, Epistula LXIII, 1, CSEL 3, 701; *cf.* Pius Iesus, *in*: Kadlec, J.:
 Literární polemika, AUC-HUCP XXI/2, 1981, 83; Responsio, 480–481; Salvator noster, 118

mundo divina dignacione prepositos ewangelice veritatis ac Dominice tradicionis tenere rationem nec ab eo, quod Cristus Magister et precepit et gessit, humana et novella institutione decedere. Cur quidam vel ignorant vel simpliciter in calice Dominico sanctificando et plebi ministrando non hoc faciunt, quod Iesus Cristus,
 115 *Dominus et Deus noster, sacrificii huius auctor et doctor, fecit et docuit? "* Hec Ciprianus. Ecce iste sanctus vult, quod Dominus sicut fecit discipulis, sic precepit calicem sacramentalem ministris, plebibus.

Item Albertus Magnus in tractatu De officio tractans de institutione huius sacramenti secundum duplicem speciem, multa ostendens de ewangelio dicit:
 120 *„Cristus sub una specie panis corpus suum tradidit et sub altera specie vini tradidit sanguinem et sic servandum instituit. Et cum Cristi accio nostra est instructio, pro certo hec duo servanda nobis precepit. Et ideo“*, id est ex precepto, *„sub una specie corpus et sub altera tradimus sanguinem“*, ibidem. Ecce quod preceptum est!

Item Damascenus libro 4^o Sentenciarum, capitulo 5^o, de hoc sacramento dicit:
„Dominus noster Iesus Cristus, qui de celo descendit, debens voluntariam pro nobis suscipere mortem, nocte, qua seipsum tradebat, in cenaculo Testamentum Novum disposuit sanctis eius discipulis et apostolis, et per ipsos omnibus, qui in eum credunt. In cenaculo ergo sancte et gloriose Syon vetus Pasca cum discipulis
 130 *eius comedens et complens Vetus Testamentum lavit discipulorum pedes, symbolum, id est notam, sancti baptismatis tribuens, deinde frangens panem dabat eis dicens: Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum.“* Et infra: *„Dixit Dominus: Hoc est corpus meum, et: Hic meus est sanguis, et hoc facite omnipotenti eius precepto, donec veniat“*,
 135 ibidem. Idem sanctus dedit cibum et potum sacramentales et per ipsos instituit dari sic omnibus, qui in | eum credunt, 2^o, quod hoc debet teneri ex omnipotenti O 46r
 eius precepto, 3^o, quod non debuit inmutari usque ad diem iudicii.

Item Bernhardus in sermone ad Petrum de corpore Cristi sic dicit: *„Benignissime Iesu, nobile satis sponse tue dotalicium indulxisti, ut vel hic teneret columba*

111 *prepositos em. sec. Cyprianum atque Iacobelli de Misa Salvator noster : prepositas O — 134 omnipotenti em. sec. Damascenum atque Iacobelli de Misa Quod non solum sacerdotes, Salvator noster : omnipotenter O*

120 Albertus Magnus, Liber De sacramento Eucharistiae, d. III, tr. II, c. V, Opera XXI, Lugduni 1651, 62; *cf.* Quia heu in templis, f. 22r; Pius Iesus, 84; Responsio, 484–485

126 *cf.* Joannis Damasceni Expositionem accuratam fidei orthodoxae, l. IV, c. XIII, MPG 94, 1139; *cf.* Quod non solum sacerdotes, f. 117r; Salvator noster, 126

133 Joannes Damascenus, *o.c.*, MPG 94, 1139–1142; *cf.* Quod non solum sacerdotes, f. 117r; Salvator noster, 126, 128

138 Pseudo-Bernardus Claraevallensis, Sermo de excellentia ss. sacramenti et dignitate sacerdotum, c. 4, MPL 184, 983; *cf.* Quia heu in templis, f. 19v; Quod non solum sacerdotes, f. 117v; Responsio, 478–480; Salvator noster, 118

tua dulcissimum memoriale dilecti sui. Cristus enim, pridie quam pateretur, discipulis suis huius sacramenti formam prescripsit, edificativa explicuit, idem fieri precepit. Forme prescriptio in pane et vino^a et cetera ibidem, ubi toti ecclesie electorum communitati tanquam sponse Cristus dicitur reliquisse memoriale huius duplicis speciei hoc, et sic fieri precepit.

Item Remigius in Omelia super illud Iohannis 6^o „*Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*“ dicit: „*Ad hanc spiritualem alimoniam, ad hoc misticum epulum et divinum nos Dominus invitat, tanquam neccessitatem sumende huius alimonie nobis indicit, ut aliter vitam in nobis habere non possumus, nisi carnem eius manducaverimus et sanguinem eius biberimus.*“ Et ne hoc credatur exponi de sola spirituali sumpcione, sed quod eciam de sacramentali intelligitur, subdit post pauca dicens: „*Filium hominis se utique dicebat, cuius corpus quottidie per sacerdotes ymolatur in altari. Apostolus enim dicit: Panis, quem frangimus, nonne corpus Cristi, et calix, cui benedicimus, nonne saguis Domini est? Et ipse quidem in corpore, quod de Virgine assumpsit, semel passus est; resurgens enim a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sed misterium sui corporis et sanguinis quottidie a fidelibus per sacerdotum ministerium mandavit fieri totali sacramento.*“ Hec Remigius. Ecce secundum expositionem huius sancti Dominus Cristus in illis verbis „*Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*“ indicit necessitatem huius sumende alimonie, et quod mandavit fieri a fidelibus per sacramentum misterium non solum spiritualiter, sed eciam sacramentaliter.

O 46v Item Luce 14 dicitur, quod Paterfamilias contra non venientes ad hanc cenam Dominicam, | ex cibo et potu sacramentalibus factam, est iratus, ergo populus cristianus obligatur ad hanc cenam venire sub obtentu gracie, quod si non veniret, incurreret indignacionem omnipotentis Dei. Ergo hanc cenam manducare et bibere sacramentaliter secundum duplicem formam a Domino est institutum preceptum, sed non omnes obediunt ewangelio neque omnes credunt huic ewangelice veritati.

141 edificativa : efficaciam *Pseudo-Bernardus atque Iacobelli de Misa Quia heu in templis, Quod non solum sacerdotes, Responsio, Salvator noster* — 145 Item em. : Idem O — 153 corpus Cristi em. sec. *Remigium atque Iacobelli de Misa Salvator noster* : Cristi O — 156 sacerdotum ministerium em. sec. *Remigium atque Iacobelli de Misa Responsio, Salvator noster* : sacerdotem misterium O — 162 cibo : cibo O

145, 158 Ioh 6,54

146 Remigius Antissiodorensis, Homiliae Quadragesimales, MS bibl. Univ. Prag. X A 13, f. 69^b; cf. Responsio, 440; Salvator noster, 112

151 *ibidem*; cf. Responsio, 440; Salvator noster, 114

161 cf. Luc. 14,16–24